

punctis purpureis maculata. (S. *Cotyledon* β . Læst. V. A. H. 1826.). *Epilobium alpinum* α . in summis alpibus uniflorum; β . in sylvis multiflorum. *Ranunculus acris* aliis regionibus ramosus atque multiflorus; in alpibus simplex atque uniflorus, flore, respectu magnitudinis plantæ, satis amplo. (Ran. montanus? Willd.). *Ranunc. glacialis* in summis alpium cacuminibus semper uniflorus; sed inferioribus, 3—4 florus. *Hieracium murorum* in alpibus simplex atque pauciflorum imo uniflorum; ceterum ramosum jam in Lapponia sylvatica, ibique floribus minoribus. *Tussilago frigida*, quo altius surgit, eo brevior atque pauciflora, flosculis radiatis elongatis atque coloratis; in sylvaticis autem brevioribus vel demum evanescentibus (β Wg. Fl. Sv.); sed floribus numerosis.

Huc citari possunt: *Apargia autumnalis*, var. uniflora seu *Taraxaxi*; *Gnaphalium supinum*, in alpibus acule et pauciflorum, capitulis 2. 3. majoribus; in inferalpinis semipedale, floribus usque ad duodecim. Cum his congruit *Saxifraga rivularis*, var. *acaulis*, in summis alpibus; *Campanula rotundifolia*, var. *linifolia* etc.

§. 11.

Sed etiam gramina in alpibus abbreviata, pauciflora, et tamen grandiflora sunt ut supra ostendimus. Ex. gr.